



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitae ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Deus non est componibilis vlli alteri rei ad constituendum ens per
accidens. cap. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

gis: qua ratione cum animal concipitur secundum essentialia dicitur abstrahi nō solum ab inferioribus, sed etiam à proprietatibus, interdum sumitur p̄esse pro abstractione ab inferioribus, eorumque conditionibus, vt cum idem animal concipitur absque speciebus, & differentijs contrahentibus, & hic modus est v̄sitationis, hoc posito dico substantiam prædicamentalem, & quoduis aliud genus posse abstrahere priore modo à finitudine, vel infinitudine simpliciter: quoniam cum finitudo non sit ipsa rei quidditas, sed proprietas ipsius, rectè potest res absque illa concipi, at ex hoc genere abstractionis nō sequitur, vt sit genus continens sub se finitū & infinitum: quemadmodū ex eo, quod animal possit abstrahi à potentia sensitua, hoc est cogitari, illa nō cogitata, non sequitur ipsum esse genus ad substantiam carentem potentia sensitua. Posteriore vero modo nullum genus abstrahit ab infinitate simpliciter, & finitudine illi opposita, quoniam hanc vendicat necessario, illā excludit: ideoque nequeunt esse eius species, nec differentia, aut proprietates ipsarum.

XVI. Ex dictis hoc cap. & superiore constat Deum sub nullo genere posse contineri: ideoque non est opus per singula genera discurre, propriam cuiusque rationem Deo contrariam assignando: sat est proponem generibus accidentium communis ratio inhaerentia, quæ Deo repugnat, vt docet D. Thomas in 1. d. 8. quæst. 4. art. 3. pro quantitate vero, qualitate, passione, quando, vbi, situs, habere propria ipsorum ratio inuolens imperfectiones à Deo alienas, ob quas non dicuntur de Deo proprie, sed metaphoricè. Pro actione vero, & relatione, quarum hæc iuxta communem veramque sententiam, illa iuxta probabilem quorundam proprie dicuntur de Deo, illa ratio est efficacissima, quoniam quidditas generica est ratione prior omnibus ijs, quæ pertinent ad rationem propriam rei sub genere contentæ: at in Deo actio, & relatio non ita se habent, sed supponunt diuinas omnes perfectiones significatas per modum substantia, & habitus: hæc tamen ratio solum conuincit relationem, & actionem non esse genus respectu Dei absolute significati, non tamen respectu relationum, & actionum diuinarum: & quidem præsens disputatio solum est respectu Dei ita sumpti: nam de personalibus non est hic disputandi locus: & non est absurdum, si quædam genera ex propria ratione abstracta ab imperfectionibus non habeant specialem repugnantiam cur Deus

sub illis non collocetur. Pro his enim suffiunt repugnantia sumptæ ex communi ratione generis, de quibus supra.

Deus non est componibilis vlli alteri rei, ad constituendum ens per accidens.

CAPVT X.

Perfectissimam rationem simplicitatis diuinæ constituunt Doctores communiter in eo, vt venire non possit cum alia re in compositionem vnus tertij: namque in rebus creatis agnoscunt aliquas omnino expertes compositionis realis intrinsecæ, nullam tamen, quæ non sit componibilis alteri, vt inferius constabit: ideoque in negatione componibilitatis constituunt discrimen simplicitatis diuinæ à creatâ. Vt autem id clarius eluceat recolendum duplicem dari compositionem, alteram per se, alteram per accidens: quarum vtraque in varias species diuiditur. Primum vero dicam vtrum repugnet Deo componibilitas per accidens: deinde vero vtrum possit esse pars compositi per se: postremo descendam ad singulos modos partium compositionis per se.

Non repugnare autem Deo, vt veniat in compositionem vnus per accidens, ostenditur primo, quoniam hic modus partis, & componibilitatis non arguit imperfectionem, aut defectum complementi cuiusque rei in suo genere: nam homo completus, atque perfectus in sua specie componi potest cum re alterius generis, verbi gratia cum sapientia, vel iustitia, manente integra propria eius substantia, atque natura; & confirmatur quoniam compositio per accidens passiuâ vnus rei cum altera non extrahit illam à sua propria natura, & essentia: ergo Deus salua, atque integra tota perfectione essentiali potest venire cum re altera in compositionem per accidens. Secundo illa, ex quibus vnitis, & manentibus in sua propria ratione fit vnum per accidens, habent verè, ac proprie rationem partis compositi per accidens: sed ex Deitate coniuncta creaturis multipliciter fit vnum: non ergo repugnat illi ratio partis vnus compositi per accidens. Assumptum ostenditur, quoniam plures homines copulati Deo per ardorem charitatis sunt vnum in ipso

I.

II.

Ioan. 17.
1. ad Cor. 6.

Deo, quod donum discipulis à Patre ha-
gitabat Christus Dominus, Ioan. 17. *Ut sint
vnum, sicut & nos vnum sumus*, & Paul. 1. ad
Corinth. 6. ait, *qui adhæret Deo, vnus Spiritus
est*. Idem patet in visione beata, ad quam
eliciendam coniungitur, siue vnitur es-
sentia diuina mentibus beatorum in ra-
tione speciei intelligibilis, vt dicunt com-
muniter Theologi: & in operationibus su-
pra naturam, in quibus Deus vnitur crea-
turæ in ratione principij, ita vt ex eo, &
creatura fiat vnum principium integrum
operationis.

III.

Aristot.

Act. 4.

Compositum per accidens aliud fit per
realem vnitionem, & copulationem par-
tium ad inuicem, ita vt vna sit alteri
formaliter, & intrinsecè vnita, vel sal-
tem realiter, & quasi per tactum con-
iuncta, nempe glutine, clauo, & alijs mo-
dis vnus relatis à Philosopho lib. 10. Me-
taphysicæ cap. 1. aliud verò fit per conue-
nientiam in habitudine ad vnum termi-
num, quomodo duo, quæ concurrunt
ad vnum numero effectum, dicuntur
vnum in genere causæ, vel principij: aliud
denique per vnitatem intentionalem ob-
iecti cum potentia, qua ratione dicit Phi-
losophus in lib. de anima intellectum in
actu fieri rem ipsam intellectam, & de
Christianis primitiis Ecclesiæ dicitur in
Actibus Apostolorum cap. 4. *multitudi-
nis credentium erat cor vnum, & anima vna*.
Inter hæc tria genera est hoc discrimen,
quod primum fit cum mutatione com-
ponentium: nam subiectum recipiens for-
mam accidentalem verè mutatur, sicut
etiam ea, quæ per vinculum, & tactum
realem copulantur: vel enim patiuntur
realem diuisionem, vel localiter mouen-
tur, & consequenter subduntur actioni
agentis externi. Secundum vero, ac ter-
tium, etsi ex altera parte frequenter mu-
tationem subeat, non tamen ex vtraque:
nam obiectum intellectus, & voluntatis
actus vitales terminans nequaquam muta-
tur: imò est principium immobile opera-
tionum mentis nostræ: item agens, qua
agens est, non subit mutationem: ob eam-
que causam causa prima immobilis est prin-
cipium efficiens rerum omnium: atque
adèd quando agens superius copulat sibi
inferius ad productionem vnus, eiusdem-
que effectus, poterit quidem inferius mu-
tari ex impressione superioris: hoc tamen
nequaquam opus est mutari, imò neque
inferius quatenus præcisè agens est, quam-
uis sæpè supponat mutationem præuiam, qua
constituatur in actu primo ad agendum.
Ex eodem discrimine sequitur aliud, nem-

pè partes primæ compositionis habere ali-
quid potentia passiuæ, quæ sola est prin-
cipium materiale transmutationis, partes
vero secundæ, ac tertiæ non necessario il-
lam vendicare: tunc enim iam essent ca-
paces transmutationis, cuius oppositum
dictum est: quamuis autem respectu actio-
num intentionalium dicantur obiecta ha-
bere aptitudinem, vt intelligatur & amen-
tur, hæc aptitudo non est potentia passiu-
a, quæ solum est in ordine ad actum,
quo ipsa informetur: at intellectio, & di-
lectio solum extrinsecè denominant ob-
iecta, non informant: & ita intelligibili-
tas, & amabilitas obiectiua non est poten-
tia passiuæ.

His præmissis dico primum; Deus non
est componibilis cum vlla re primo mo-
do compositionis per accidens. Hæc quo-
ad eam partem, quæ negat Deum posse
concurrere ad compositionem ex sub-
iecto, & accidente est communis, & faci-
lè probatur, quoniam ad hanc compo-
sitionem concurrat aliquid, vel tanquam ac-
cicens, vel tanquam subiectum: priore
modo Deus non potest concurrere, quia
est ipsum quod est, & consequenter sub-
stantia, non accidens: quod propriè lo-
quendo non est ens sed entis, non id quod
est, sed quo aliquid quidpiam aliud est,
verbi gratia calor non est quod est, sed
quo substantia calida est: hanc partem
fusus probat Henric. in sum. art. 29. *Henric.*
quæst. 3. Posteriore etiam modo repugnat,
vt Deus ad eiusmodi compositionem ve-
niat: quandoquidem subiectum ex quo,
& accidente fit compositum per accidens,
vt patet ex dictis, debet esse in potentia
passiuæ respectu accidentis, & capax trans-
mutationis à priuatione illius ad formam:
hæc autem repugnant primo enti, quod
est actus purus, & immutabile. Præterea
ens per essentiam, & infinitæ perfectio-
nis, qualis est Deus, non habet vllam per-
fectionem participatam ab alio, & pro-
pria essentia extrinsecam: Omnis autem
perfectio accidentalis subiecto est partici-
pata, & extrinsecæ essentia ipsius: ergo
fieri nequit, vt Deus sit subiectum for-
mæ, & perfectionis accidentalis, & con-
sequenter, vt cum ipsa constituat compo-
situm per accidens: quod argumentum
rectè expressit Cyrillus Alexand. lib. 11. *Cyrib. Alex.*
Thesauri. *Accidens*, inquit, *Deo nullum
in esse potest, perfectio enim ex se ipso nihil po-
test accidere*: sed res est clarior, quam vt
longa probatione indigeat, consule docto-
res qui illā ex professo probant S. Thom. 1. *S. Thom.*
quæst. 3. art. 3. cum Caietan. lib. 1. contra *Caietan.*

IV.

Gentes

Ferrariens.
Henric.
Durand.
Aquilanus.
Argent.
Leo.
Mar. Victorin.
Ambros.
August.
Boet.
Anselm.
Bernard.
Alcuin.
Cyprianus.

Gentes cap. 23. cum Ferrariens. & quæst. 7. de potentia art. 4. Henric. in summ. art. 29. quæst. 4. Durand. in 1. d. 8. 2. p. distinctionis, quæst. 1. art. 2. Aquilanum quæst. 3. art. 2. Argentinatensi quæst. 1. art. 2. conueniunt etiam Sancti Patres, Leo Epistola 93. alias 91. cap. 5. Mar. Victorin. lib. 1. aduersus Arium circa medium, Ambros. lib. 1. de fide Trinitatis cap. 7. August. lib. 5. de Trinitate cap. 3. 4. & 5. Boet. in lib. 1. & 2. de Trinitate. Anselm. in Monologio cap. 24. Bernard. tract. de diligendo Deum versus finem, Alcuin. lib. 1. de Trinitate cap. 10. Plura Patrum testimonia refert Ioan. Cyparisiota decade 10. cap. 2.

V. Aduersus hanc veritatem non est argumentum vilius momenti, nisi quis velit ut dicto Aristot. lib. 1. Phys. text. 10. *substantia nulli est accidens*. Ex quo colligit Auerr. 8. Metaph. com. 50. id, quod est substantia in vno, non esse accidens in alio: quod etiam constat inductione discurrendo per singula genera accidentium: at sapientia, iustitia, & alia perfectiones simpliciter communes Deo, & creaturæ, in hac sunt accidentia: ergo nequeunt esse substantiæ in Deo, sed erunt accidentia. Respondetur dictum Aristot. intelligendum de re eiusdem rationis vniocæ, ut procedebat eo loco quæstio: probabat enim Philosophus calorem, qui est eiusdem rationis specificæ, cum in corpore misto sit accidens, non posse esse substantiam in simplici: perfectiones autem diuinae non conueniunt vniocæ, sed analogicè cum creatis eiusdem nominis, ut ostendit lib. 4. Altera pars eiusdem assertionis patet, quoniam compositio illa solum est inter res corporeas tactui, colligationique subiectas, à quibus, Deus est prorsus immunis.

VI. Dico secundum, Non repugnat Deo, ut simul cum creatura subleat alicui rationi compositionis per accidens secundi, ac tertij modi: fundamentum est, quoniam in ijs compositionis generibus non est villa ratio imperfectionis, aut partis propriè dictæ, quæ inuoluat rationem in completam, aut potentialitatem, ut patet ex dictis, & ex argumentis initio positis, quæ solum probant hanc assertionem, ut in solutione constabit. Aduertendum est tamen, si quando in huiusmodi compositione interuenire debeat aliqua imperfectio ex parte componentium, excludendam esse à Deo: exempli causa, cum duæ causæ concurrunt ad vnum effectum, potest esse subordinatio vnius ad alteram, ut secundæ ad primam: & idcirco Deus non potest venire in rationem vnius compositi in ge-

nere principij, ita ut subordinetur alteri agenti: item ex obiecto, & potentia intellecticè sit vnum, interdum cum passione potentia recipientis obiectum intelligibiliter, hoc est speciem eius intelligibilem: hoc modo non fit vnum ex intellectu diuino, & obiecto: non enim recipit ab eo formam intelligibilem, fit tamen vnum ex ipso tanquam obiecto, & intellectu creato: nam obiectum speculabile non patitur ab intellectu creato, nec subit aliam imperfectionem. Ad hunc modum pertinet dubium, quod tractat Henricus vbi supra q. 5. an Deus componi posset cum aliquo tanquam motor cum mobili, ita ut ex utroque resulteret vnum motum, qua ratione Aristoteles censet ex substantijs separatis celorum motricibus fieri vnum, cui quæstioni ipse respondet negatiuè: & quidem verè, si intelligatur cum limitatione, aut colligantia, seu dependentia sui esse ad substantiam corporis mobilis: qua ratione Philosophi ponebant substantias motrices orbium inferiorum, tanquam virtutes existentes intra ipsum mobile secundum esse, quamuis separatas quoad essentiam, & mutuam illis dabant connexionem, ac dependentiam: connexionem quidem, quoniam mutuo separari non poterant: dependentiam vero, quoniam mobile dependebat à motore quoad motum actuale, motor vero à mobili non quoad esse, sed quoad perfectionem, ut non esset otiosus, sed actu operans, & per motum perfectus, ut ait Comment. super 12. Metaphys. & hoc indicauit Aristotel. qui non plures agnouit substantias separatas, quam sint orbes celestes mobiles: quasi sine motu essent otiosæ & imperfectæ: Deus autem nullo corpore clauditur: cum nullo habet necessariam connexionem: à nullo quoad suam perfectionem dependet, ideoque tanquam motor cum mobili non potest hac ratione venire in compositionem vnius habentis motum ab intrinseco, si vero abstrahamus ab his conditionibus, & consideremus vnū quasi aggregatum ex mundo vniuerso tanquam mobili, & Deo tanquam motore intrinseco hoc est intimè illapso rebus omnibus possumus in eo agnoscere aliquam connexionem necessariam, non quidem ex parte Dei, qui ita in se est, ut cum nulla alia re suapte natura sit necessario coniunctus: sed ex parte vniuersi ad Deum propter essentiali dependentiam ab illo: ratione cuius connexionis non erit absurdum concedere ex creaturarum rerum vniuersitate tanquam mobili, & Deo tanquam motore coalescere vnum per accidens.

Henricus.

Auerr.

Aristot.

VII.

Ad primum respondetur non solum repugnare Deo, rationem incompleti sed etiam imperfectiones alias, quæ cum ratione entis completi manent in creaturis componibilibus per accidens cum alijs: verbi gratia potentia passiva, & mutabilitas, quæ manet in substantia completa respectu accidentium, quibus perficitur: & ita, licet eiusmodi componibilitas non extrahatur, cui conuenit, à completo esse essentiali secundum suam speciem, supponit tamen eiusmodi essentiam non esse simpliciter perfectam, sed carere pluribus perfectionibus: quæ suppositio destruit rationem actus puri infinite perfecti, qualis est essentia diuina. Ad confirmationem respondetur componibilitatem non destruere naturam, quæ est capax ipsius: natura quippe humana ex eo, quod componatur cum accidentibus corporeis, vel etiam spiritualibus, non decedit à suo gradu. Verum, si tribuatur naturæ minimè capaci, hoc ipso censetur negari propria essentia talis naturæ: quotiescunque enim negatur à natura proprietates eius necessaria, vel tribuitur forma illi repugnans, consequenter negatur natura: at vero, si Deo tribuatur componibilitas passiva realis cum creatura, hoc ipso tribuitur ei ratio potentie passivæ & mutabilitatis, quæ naturæ eius repugnant: & negatur immutabilitas, & aliæ proprietates: & ideo consequenter negatur eius natura. Quapropter non valet consequentia, quæ ex eo colligitur Deum salua propria natura posse componi cum accidentibus, quia res creatæ integra natura veniunt in huiusmodi compositiones accidentales.

VIII.

Ad secundum argumentum respondetur coniunctiones, quarum in ea sit mentio, non esse reales ad constituendum vnum in genere entis, sed intentionales, vel in genere principij: quæ non inuoluunt aliquid Deo indecens, nec arguunt veram rationem partis in ijs, quæ ita copulantur: & prima quidem erat intentionalis secundum affectum plurium conuenientium in obiecto voluto, & hoc modo intelligenda sunt duo priora testimonia: item vnitas Dei cum mentibus beatis, vel est intentionalis quatenus est obiectum cognitum, vel in ratione principij quatenus essentia diuina subit rationem speciei intelligibilis, & vnitur intellectui in ratione vnus principij visionis beatæ: quo etiam manifestè vnitur nobiscum ad alias actiones, & hoc modo soluitur hoc argumentum, quatenus videtur repugnare primæ conclusioni: quatenus vero repugnat secundum

de: respondeo rationem partis propriè respicere entitatem, ad quam constituendam singulæ partes inadæquatè concurrunt: ex compositionibus vero secundis, ac tertij modi non resultat vlla noua entitas composita ex Deo, & creatura: sed solum respectus quidam inadæquatè terminati ad vtrumque: ideoque ibi non cernitur vera, ac propria ratio partis. Quod si quis admitteret Deum esse partem aliquius aggregati, verbi gratia binarij ex ipso, & Michaële constituti, non adeò absurde loqueretur: nam pars hoc modo non tollit rationem entis completi, atque perfecti.

Deus non est pars compositi per se.

CAPVT XI.

Compositum per se est vnum simpliciter vnitate compositionis: ex qua descriptione colligitur discrimen à composito per accidens, & ab ente simplici: ab illo quoniam non est vnum, sed multa simpliciter, vnum vero secundum quid, ab ente vero simplici, quoniam hoc habet vnitatem ex se, non ex coadunatione partium. Et hoc etiam sumitur ratio partis concurrentis ad constitutionem vnus entis per se. Ea vero consistit in quadam communicatione propriæ, & indiuiduæ entitatis alicui toti, quod ex ea, & alia, seu alijs mutuo vnitis complete, atque adæquatè, ex singulis vero inadæquatè resultat, tres autem fuerunt potissimum errores existimantium Deum de facto concurrere tanquam partem ad compositionem entis per se. Primus Davidis de *David de Dinanto* in lib. de diuisionibus, quem refert Albertus in summ. tract. 4. quæst. 20. memb. 2. quæst. incidente, & D. Thom. 1. p. quæst. 3. art. 8. & lib. 1. contra Gentes cap. 17. assererat autem Deum esse materiam primam inepto ductus argumento: nempe quia, si Deus, & materia prima differunt, aliquibus differentijs differunt, quæ autem conueniunt aliquo, & per oppositas differentias differunt, sunt composita: quare, cum Deus, & materia prima sint aliquid omnino simplex, nullo modo differunt, sed sunt idem prorsus. Ex alio fundamento, vt notat Henricus art. 29. quæst. 2. in eandem sententiam videtur inducti quidam Philosophi antiqui, quorum meminit Aristotel. lib. 12. Metaph. 1. ap. 7. negantes bonum, & perfectum esse in pri-